



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

IX. Vtrum actus disponentes ad infusionem Virtutum Theologicarum
procedant efficienter ab eisdem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

actualia Gratia, quibus animus hominis preparatur, ac disponitur à Deo. Conferuntur enim à Deo, dante *Homini bus potestatem Filios Dei fieri*; vt habetur in Evangelio Ioannis; atque ideo offerente fi.ationem suam; & vt monet Apostolus, *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*: Quod tamen non oporteret, nec possibile esset credere, nisi Deus primos nostros conatus inquirendi ipsum, & ad ipsum accedendi, hoc est, preparationem, & dispositionem animi nostri, respectu familiaris cum ipso coniunctionis preueniret mouendo cor nostrum propositione, & exhibitione sui, quatenus prompti, aut parati ad remunerandam eandem nostram inquisitionem, & preparationem muneribus, quæ accipienda superiunt post auxilia actualia, quibus iam præueniat accedentes, & inquirentes; idest, ad remunerandam eam inquirentem, & dispositionem stabili, & permanenti coniunctione sua nobiscum, & nostra cum ipso, quod fit per infusionem habituum Theologicorum. Hi nimirum soli accipiendi supersunt ex ea suppositione, idemque sunt remuneratio propria animi nostri, quatenus prompti, ac dispositi ad eam mutuam coniunctionem permanentem.

Art. 3. Quare actus, quibus sic disponimur, licet spectata eorum perfectione tam physica, quam moralis; tam supernaturali, quam præcendenti à naturali, & supernaturali, non sint meritorij nisi de congruo infusionis habituum, nec eam reddant infallibili futuram; sed tantum proximè possibilem, & probabiliter futuram: tamen quatenus dependent à motione Dei proponentis se, vt remuneratorem, & suam coniunctionis habitualis mutuae intentionem, habent connexionem intrinsecam intentionalem penitus infallibilem cum eadem habituum infusione. Quia verò conaturale est actibus nostris dispositiuis supernaturalibus, vt fiant dependenter à tali motione Dei, propterea absolute dicendum est illos intrinsecè, & ex natura rei connecti cum infusione eorum habituum.

Ad 7. Conceditur propter illam auctoritatem Concilij, & propter rationem reddendam quæst. 11. actus istos dispositiuos nullatenus influere efficienter ad habitus Theologicos; sed negatur, nullam superesse præterea rationem utilitatis, & necessitatis, ob quam illi ad istos præmittantur. Quia licet ad formam purè physicam, non possit habere rationem dispositionis, quod non habet virtutem influendi saltem partialiter in illam; tamen respectu formæ propriæ subiecti rationalis, ordinatæ ex sua natura ad mutuam coniunctionem intentionalem, & amicabilem, omnino potest habere rationem propriissimam dispositionis consensus præuius ex parte patientis, & inchoatio imperfecta perfectæ, ac permanentis illius coniunctionis: de cuius videlicet ratione est, vt sit voluntaria ex utraque parte, vt expositum est superius.



QVÆSTIO IX.

Vtrum actus disponentes ad infusionem Virtutum Theologicarum procedant efficienter ab eisdem?



IDEVR procedere. 1. Quia non repugnat in genere mutua prioritas inter duas entitates, quod communiter suadet in physica efficienter variis exemplis rerum mutuo se præcedentium. Ergo non repugnat.

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

gnat eadem mutua prioritas inter actum disponentem ad habitum, & ipsum habitum; ita vt actus quatenus disponens, seu consentiens vnioni cum Deo, præcedat habitum, quatenus vnitiuum Dei cum homine. Habitus verò, quatenus habens talem determinatè actiuitatem, & vim communicatiuam sui, & quatenus capax est adiuuare potentiam rationalem, præcedat, efficiatque actum, vt attingentem tale determinatè obiectum, proprium eius habitus; & vt habentem talem determinatè perfectionem acceptam ab eadem potentia, & eius comprin. ipsius. Consequentia tenet; quia admissa mutua prioritate in genere, nulla superest in re præcènti difficultas specialis.

2. Actus præcepti sitarum virtutum requiruntur ad ipsarum, maximè verò Charitatis, conseruationem; & nihilominus procedunt efficienter ab habitibus actus deservientes ad conseruationem, vt dictum est quæst. 6. ad 5. Ergo procedunt similiter ab iisdem, qui determinunt ad primam infusionem.

3. Actus Charitatis disponentis ad Gratiā sanctificantem meretur de condigno primum gloriam, vt docet D. Tho. & colligitur magno cum fundamento ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 8. de iustif. Ego procedit ex Gratia, & Charitate, ad quam disposit. Patet consequentia, quia actus non procedens ex Gratia, & Charitate, quæ est semen gloriæ, nequit esse meritorium gloriæ de Condigno. Rursus idem actus meretur de Condigno Gratiā, ad quam disponit, si non procederet ab ipsa efficienter; id est, non præsupponeret eandem Gratiā, iam gratis datam. Quia procederet ab homine non inimico Dei, vt pote habente in se pro eodem instanti reali Gratiā iustificantem, nec illi deesset vlla alia conditio, requisita ad meritum de Condigno. Sequela autem est manifestè contra Tridentinum ibidem. Demum communiter admittitur, nec videtur negari posse mutua prioritas inter merita Christi, & Maternitatem B. Virginis, aliaque similia. Ergo admitti similiter potest, ac debet mutua prioritas inter habitus, & eorum dispositiones, cum nulla sit aduersus eam difficultas specialis.

4. Potest Deus, vt arguit Ripalda, de potentia absoluta, seu prouidentia extraordinaria, prædefinire efficienter existentiam actus disponentis per decretum d. functionum, circa eius principia, volendo scilicet, vt fiat dependenter, vel ab habitu, ad quem disponit, vel à solis auxiliis actualibus, vel ab auxilio extrinseco. Præuiso verò actu, vt absolute futuro, in eo decreto, potest postea intuitu eius dare determinatè per aliud decretum ipsum habitum, qui est principium actus cæteris præstantius; ac proinde capax, cuius electio, ac determinatio habeat rationem præmij. In hunc igitur modum est absolute possibile, vt dispositio procedat efficienter ab habitu, ad quem disponit.

5. In pluribus locis Scripturæ docemur, prius nos diligere à Deo, quam ipsum diligamus; non posse Deum diligere, nisi ab habente iam in se Deum; & dilectionem Dei fieri non posse, nisi per infusionem Spiritus sancti. Diligit autem nos Deus per actum, quo infundit nobis Gratiā, & Virtutes: Habetur à nobis per eandem: Et infusio Spiritus sancti est indistincta ab infusione eiusdem Gratiæ, & donorum. Ergo existentia Gratiæ sanctificantis, & reliquorum habituum supernaturalium est prior, quam dilectio nostra erga Deum, qua disponimur ad receptionem eorum; eademque est ratio de dispositione ad quemlibet alium habitum supernaturalem. Ergo omnis talis dispositio procedit ab habitu, ad quem disponit.

Art. 1. Respondetur. Actus disponentes ad infusionem Virtutum Theologicarum eliciuntur liberè; quia non sunt dispositiones purè physice, sed morales.

X x 2 Non

Non autem elicerentur liberè, si procederent efficienter ab iisdem Virtutibus. Quia in primis virtutes istae non possent componi cum defectu dispositionis ad infusionem ipsarum: deinde essent priores natura simpliciter, & propriè, quàm iisdem actus; & quidem, ut determinatae ad existendum pro illo ipso instanti, pro quo exercent rationem causa efficientis respectu talium actuum; quia supponitur non praexistisse pro aliquo priori instanti reali. Quod autem est impossibile cum omissione alicuius actus, simulque est prius natura simpliciter, & propriè, quàm idem actus, non relinquit vltimam libertatem respectu ipsius. Quia posito tali compendio taliter determinato pro priori naturae, non datur in voluntate potestas ad omissionem, neque in sensu diuiso, neque in sensu composito. Si quidem neque potest omissionem componere cum tali compendio; neque potest eandem diuidere ab eodem compendio, quod videlicet praesupponitur iam existens pro priori naturae; ideoque iam non potest abici, & impediri quominus existat, quod tamen esset necessarium, ut posset omisso poni à parte rei diuisa à tali compendio. Ergo actus disponentes ad infusionem virtutum Theologicarum non essent liberi, & morales, si procederent efficienter ab illis; ac proinde non haberent rationem dispositionis propriè talis. Ergo absolute repugnat, ut ab illis efficienter procedat.

Art. 2. Accedit suffragium D. Thomae, semel atque iterum ab eo repetitum; sed omnium clarissimè 1. 2. quaest. 109. art. 6. *Duplex, aut, est preparatio voluntatis humana ad bonum. Una quidem, qua preparatur ad bene operandum, & ad Deo fruendum. Et talis preparatio voluntatis non potest fieri sine habitualis Gratiae dono, quod sit principium operis meritorij, ut dictum est. Alio modo potest intelligi preparatio voluntatis humana ad consequendum ipsum Gratiae habitualis donum. Ad hoc autem, quod prepararet se homo ad susceptionem huius doni, non oportet praesupponere aliquod aliud donum habituale in anima: Quia sic procederetur in infinitum, sed oportet praesupponere aliquod auxilium gratuitum Dei interius animam mouentis, scilicet inspirantis bonum propositum. Vbi patet sermonem esse de preparatione sufficienti ad susceptionem Gratiae habitualis, & Charitatis; atque adeò de dispositione etiam vltima. Patet quoque absurdum deduci de processu in infinitum, quod ne umbram quidem difficultatis haberet, admissa mutua prioritate inter dispositionem, & formam, ad quam disponit, & processione dispositionis ab eadem forma; seu non supposito tanquam certo, dispositionem non posse esse effectum formae, ad quam est dispositio. Idem docet non obscure ibidem quaestione 112. art. 2. & perspicue 3. part. quaest. 62. art. 2. ad 3. habeturque manifesta eiusdem sententiae tanquam indubitata suppositio 3. part. quaestione 89. art. 1. ad 3.*

Art. 3. Accedit eum, qui liberè disponitur ad obtinendum, ac impetrandum aliquid dependentem à sua dispositione, non debere partim esse praeventum, partim non praeventum ea re, ad quam disponitur. Inde enim fieret, illum debere esse sollicitum sub vna consideratione, & sub alia non debere esse sollicitum de adhibenda dispositione pro asscutione rei, quam intendit. Nam qui praehabet rem in se intrinsece, nec debet, nec potest esse amplius sollicitus de praestando aliquo opere, adhibendaque diligentia pro eius consecutione. Debet verò, & potest esse adhuc sollicitus, qui nondum habet rem, quam sua interest habere. Ergo admissa mutua prioritate inter dispositionem, & habitum, ad quem disponit, sequuntur contradictoria. Id quod clarius perspicitur, si ponatur adesse cognitiones proportionales, quoad mutuam prioritatem illis duobus obiectis; ita ut prius priori naturae ad actum dis-

positiuum adsit cognitio de habitu iam praexistente sub vna formalitate, simulque adsit alia cognitio de eodem nondum habito sub alia formalitate. Apparet enim clarè consideranti, vnam ex illis cognitionibus impediri ab altera, quo minus sollicitè ad opus dispositiuum; alteram verò quo minus quiescat animum, & securum reddat euentus per se optabilis. Ob hæc igitur, & similia repugnat actus disponentes ad infusionem Virtutum Theologicarum, efficienter ab iisdem procedere, cum mutua reali prioritate naturae inter vtroque.

Ad 1. Falsum in primis est, possibilem esse mutuam aliquam prioritatem physicam inter duas aliquas entitates secundum se consideratas. Verum de hoc dictum sufficienter est in Philosophia, vbi explicata sunt sine mutua prioritate exempla de vento, & fenestra, de rotis currus, aliisque eiusmodi rebus. Atque ibidem animaduersum fuit, causas physicè efficientes, earumque effectus, non agere, aut procedere, ac procedere secundum Logicas formalitatum praecisiones; sed secundum reales entitates tam effectuum, quam causarum, prout sunt à parte rei. Sed transeat pro nunc, possibilem esse, ac dari mutuam eiusmodi prioritatem inter causas, & effectus necessarios, existente tertia alia causa, quae determinet, ac disponat mutuos eorum actiones, ac prioritates. Hoc enim transmissio neganda nihilominus est talis mutua prioritas, vbi alterum extremum est actus liber: alterum verò aliquid connexum cum eodem actu, ex sua natura, simulque inimpedibile per omissionem actus, ex suppositione, quod praecedat eundem actum. Quia hinc sequitur eum actum liberum non esse, simulque sequitur eundem esse liberum; quia idem principium est consequens ad actum, & impedibile per eius omissionem, quae sunt repugnantia.

Ad 2. Constat ex dictis quaest. illa 6. Libertatem ad actus istarum virtutum, quatenus necessarios ad conseruationem earum, constitui per existentiam talium Virtutum pro instanti reali immediate praecedenti ad instans, pro quo primum existere debet actus necessarius ad conseruationem habitus. Id quod in praesenti locum non habet, quia agitur de instanti, pro quo primum existit tam habitus, quàm actus; ideoque habitus si praecederet naturam actum, praecederet, ut iam determinatus ad illud ipsum instans reale, pro quo actus eliciendus est liberè, quod ostensum est repugnare. Nulla igitur est paritas.

Art. 1. Ad 3. Plena eorum expositio, quae tanguntur in obiectione pertinet ad quaestiones de merito. Quare breuiter responderetur ad primum: Disponentem se ad Gratiam per actum Charitatis, mereri de condigno primam Gloriam condignitate merentis, non verò condignitate propria, & speciali actus meritorij. Nempe dispositus ad iustificationem per actum dispositiuum meretur de congruo Gratiam sanctificantem, & primam gloriam, atque obtemperatam Gratiae, eo ipso adiungitur illi merito actus, condignitas personae ad gloriam. Ceterum actus dispositiuus non habet specialem aliam condignitatem adaequatè, vel inadaequatè distinctam, ratione cuius debeat de condigno aliquid ultra id, quod debetur dignitati personae secundum se, uti accidit in actibus elicitis ab homine iusto, ut iusto; ideoque concomitanter solum, & materialiter dici potest meritorius de condigno primae gloriae. Nec enim persona merens per actum, formaliter quatenus merens, habet condignitatem, & ius ad primam gloriam; sed quatenus iam habens vnum terminum sui meriti de congruo, nempe Gratiam, ex ea habet condignitatem, & ius ad alterum terminum eiusdem actus meritorij, nempe ad primam gloriam. Iam ad meritum de condigno per se, & propriè tale, non sufficit non inimicitia, seu praecisio ab

ab amicitia, & inimicitia cum Deo. Quia necessaria insuper est positiva antecessio Gratia habitualis, utque hæc operi impendatur, atque in illud influat realiter.

Art. 2. Denique desideratur in primis similitudo antecessionis in utroque extremo illius comparationis, quia merita non sunt priora præmiis temporis antecedentis, ut maternitate, & similibus, immediate per suam entitatem, sed solum, ut præiusta, & acceptata à Deo; cum tamen dispositio habitum, & habitus actû dispositiui, antecedant etiam immediate per suas entitates. Deinde maternitas B. Virginis non fuit principium immediatum actuum Christi potens auferre libertatem eorum, ut dictum est, auferri libertatem respectu dispositionis, per antecessionem habitus. Deficit ergo paritas duplici ex capite.

Ad 4. Multiplicitas eiusmodi decretorum impugnabitur efficaciter in questionibus de Incarnatione. Deinde extrinseca qualiscunque dispositio, & imaginatio decretorum Dei, non potest mutare naturas rerum, sicut potest implicare conceptus hominum, atque deludere. Natura autem eomprincij intrinsecè inhærentis voluntati pro priori naturæ, & impossibilis intrinsecè cum omissione actus, ea est, ut ratione sui auferat indifferentiam voluntatis, cui inhæret. Sicut est natura compedum, ut impediant potentiam deambulatoriam, quam ligant, quamcumque demum voluntate Dei, sine disunctione, siue solum determinata iniiciantur. Denique actus procedens ab habitu essentialiter pendens ab illo determinatè; nec posset præiudicare non indifferentia ad aliud comprincipium loco eius, quia est realiter indistinctus omnis actus intellectus, & voluntatis ab actione, à qua producitur.

Ad 5. Auctoritates illæ non sunt è re præsentis, quia prioritas diuinæ erga nos dilectionis non accipienda est de ea singulorum dilectione habituali, ac permanenti, quia, si nos ipsum diligamus, ad nos venit, & mansionem apud nos facit, ut habetur 1. 4. Ioan. 23. Sed de illa vniuersali, qua mundum minime dispositum, minimeque diligentem; sed contra auertum, & indispositum posituè per peccatum, sic omnibus modis præoccupando, dilexit, ut Filium suum unigenitum daret; ut testatur idem Ioan. 3. 16. & Epist. 1. 4. 9. Deinde ut ea prioritas accipienda foret de amabili erga singulos dilectione, ea quoque verificatur independentem ab influxu habitus Charitatis in actum disponentem. Quia Deus illa ipsa voluntate, qua nobis donat actum Charitatis disponentem, prædiligit nos dilectione vera amabili, utcumque eum donet, siue per auxilium actuale, siue habituale, siue extrinsecum, ut dicitur in questionibus de Iustificatione impij. Ratione eiusdem huius voluntatis verificatur, Deum non diligere, nisi ab habente Deum; quia primum initium habendi Deum, ipsaque prima initialis, ac radicalis habitio constituitur per voluntatem, qua Deus nos diligit. Quod additur in fine de infusione, nihil probat, cum, & auxilia actualia Gratia habeantur per infusionem Spiritus sancti. Igitur actus disponentes ad infusionem habitum supernaturalem, sunt cooperantibus solis auxiliis actualibus Gratia.

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

QVÆSTIO X.

Vtrum Virtutes Theologicae infundantur successiue?



IDEUM nunquam infundi successiue, sed semper simultaneè. P. Quia Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. definit. In iustificatione hac omnia simul infusa accipere hominem (utique aduultum, de quo præcipue agit) Fidem, Spem, & Charitatem. Et rursus, Catechumenos petere Fidem ab Ecclesia. Quod fieri non posset, certè heret præposterè, si ad actum Fidei, sine quo Catechumeni esse non possunt, subsequeretur seorsim habitus Fidei ante iustificationem, & infusionem charitatis. Eodem pertinet Clem. vnic. de Sum. Trinit. in qua tanquam probabilius, ac dictis Doctorum consonantius eligitur a Pontifice, sacro approbante Concilio, tam paruulis, quam adultis, conferri in Baptismo Gratiam, & Virtutes; inter quibus, licet non exprimitur, intelligenda est Fides. Tum quia ea exprimitur occasione eisdem controuersiæ, in cap. Maiores, de Baptismo: Tum quia ea proculdubio, infunditur paruulis, quorum confirmatio, & indiscreta est apud Pontificem causa cum adultis, & tamen adulti tempore antecedenti ad Baptismum, eliciunt actum Fidei, hoc est dispositionem omnium optimam ad habitum Fidei. Subscribit D. Thomas docens 3. p. q. 85. ar. 6. & in 3. dist. 23. qu. 2. art. 3. atque alibi non semel, in Virtutibus non esse ordinem temporis, quoad habitus, propter ipsarum inter se connexionem.

2. Gratia sanctificans est radix omnium virtutum supernaturalium, habetque rationem naturæ, & quasi primæ substantiæ. Ergo nulla virtus supernaturalis, vnquam infunditur ante Gratiam sanctificantem. Ad infusionem autem ipsius necessariò consequuntur ex natura rei omnes virtutes pro eodem instanti. Ergo nunquam successiue, vna post aliam, sed semper omnes simultaneè infunduntur.

3. Ex infusione successiua sequeretur, non esse æqualis semper intensiois in vnoquoque iusto omnes virtutes infusas. Tum quia actus Fidei disponentis ad suum habitum, posset concipi intensior, quam postea actus Charitatis disponentis ad suum: Tum quia idem habitus, dum existeret separatus à Charitate, posset augeri repetitis suis actibus, eadem ratione, qua seorsim infunderetur, & inciperet esse, elicitio primo actus Fidei. Sequela autem communiter censetur absurda, & nullatenus admittenda.

4. Virtutes morales supernaturales non infunduntur ante Charitatem, tamen earum actus eliciuntur ante infusionem Charitatis. Ergo neque habitus Fidei, & Spei infunduntur ante habitum Charitatis, tamen actus Fidei, & Spei, quibus nulla peculiaris dispositio aptior esse potest ad infusionem eorum habitum, eliciuntur prius tempore, quam actus Charitatis.

5. Nulla vis intellectiua existere potest connaturaliter, absque appetitiua eiusdem generis, in quo principio est frequens inter alios D. Thomas. Ergo neque Fides, quæ est virtus intellectiua, existere vnquam connaturaliter potest sine Spe, & Charitate habituali, quæ sunt virtutes appetitiuæ eiusdem generis.

Art. 1. Resp. Certum est, omnes virtutes infundi simultaneè, quibus infunduntur, nulla propria præeunte dispositione; necnon iis, si qui sunt, qui omnes dispositiones necessarias ad omnes tres virtutes exquantur primitus pro vnicò instanti reali. Cōtrouersia

X x 3 igitur